





2. D. B. V. 1703, 12a  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

ADMITTENDIS  
ET REJICIENDIS  
PROCURATORIBUS,

*Quam*  
AUXILLANTE DIVINI NUMINIS CLEMENTIA  
EX DECRETO & CONSENSU INCLYTI JCTORUM ORDINIS  
IN PERANTIQUA & CELEBERRIMA ELECTORALI  
UNIVERSITATE ERFFURTINA

PRÆSIDE

VIRO *Prænobili & Consultissimo*

DOMINO

JOANNE MATTHIA  
WINCOP

Phil. & J. U. D., P.P. Ord., Præfecturæ Electoralis  
Mogunt: Consulente, p. t. Facult. Jurid. & Collegij  
Portæ Coeli DECANO,

PRO LICENTIA

*Summos in Utroque Jure Honores, Immunitates  
& Privilegia Doctoralia rite &  
legitime consequendi,*

Publicæ Disquisitioni exponit

JOANNES HENRICUS *Bödel*

Dübia Saxo, Hæreditarius auffs *Wedelwig*.

In Auditorio Jctorum die 9. Augusti 1703.

Horis confvetis.

ERFORDIÆ, Ære GROSCHLANO.

39.

39.

ADAMUS FERRENDIS  
FERRENDIS  
DOMINO  
IOHANNES MATTHEA  
PRO LICENTIA  
PUBLICAE





## PROŒMIUM.

**D**isputationem Inauguralem secundum receptum in Universitatibus morem conscripturus tam variæ, ac multiplices in vasto illo Juris nostri Oceano oberrati sese obtulerunt materiæ, ut quam elegerim dubius meritò cum alijs eundem laborem subeuntibus hæserim, & licet quosdam novum quendam fœtum in lucem producere, indeque nominis sui æstimationem, ac sublimioris ingenij encomia acquirendi occasionem accipere, totis viribus anxij allaborantes videam, hique finem hunc consecutos esse sibi blandiantur si novis excogitatis titulis Labores sui superbian. Nil tamen dici quod secundum a sæculis receptum proverbium non fuerit dictum ante ipsa rei ostendit evidentia, præsertim cum ju-

A 2

veniles

vd 18

veniles animi à pulvere scholastico vix puri hoc eruditissimo orbi aliquid admiratione dignum, & à novitate commendabile offerre vix præsumere audent, proinde materiae quotidianæ, quæ utilitatem magis, quam subtilitatem post se trahit, labores meos impendere decrevi, & licet hæc, quam fisto, ob hoc vilis, & abjecta videri posset, quod Jure Justiniano Procuratoris officium privatum, *arg. L. 17. C. de Procurat. & vile, L. 34 C. de Decurion: ibiq; gloss. in v. vilitatem*, imò suspecto de infamia haud denegatum sit, § 11. *institut. de exceptionibus* Jure tamen Canonico *Cap. 1. & seqq. C. 3. q. 7. Camerali ordinat: Cam: P. 1. Tit: 18. Geil. Lib. 1. Obs. 43. num. 7. & 11. Saxonico Landrecht Lib. 3. ars: 16. atque aliarum Gentium Gudelin. de Jure novis. Lib. 4. Cap. 4.* Publicum est, & honorabile, ut Procurator ad lites ab Advocato vel purum differat, sicut de Praxi Camerali testatur *Geil. L. 1. num. 6. & Observ. 44. num. 8.* uno à necessitate vel maximè commendatum, dum illis, qui rebus suis superesse vel nolunt, vel non possunt, saltem per alios agere vel conveniri permittatur. Non igitur tempus fuisse autumo, materiam de Procuratoribus, tanquam utilem necessariam, & quotidianam præ alijs eligendo, & quamquam ea latissimum

num scribendi campum suppeditet, temporis tamen, & differentia inter tractatum & Disputationem habenda fuit ratio. Benevolum itaque Lectorem obsequiosè rogo, ut, quas conscripsi, Theses, eâ, quâ proficiunt mente suscipere, & si forsan errare contigit, pro sua humanitate mone-re velit, hac spe confusus ulterius progrediendo sit.

§. I.

**N**itium semper à Definitione esse faciendum, ut id, de quo disputatur, possit intelligi, testatur Cic. *Lib. 1. offic.* Cujusque enim rei potissimam partem efficit definitio, *arg. l. 1. ff. de O. J.* atque rei propositæ finem. Podin. *Lib. 1. de Re-publ. Cap. 1.* Ab hac itaque Disputationem nostram in-chuare placuit.

§. II.

Descendit verò vocabulum Procuratoris à verbo Procuro, idque compositum est ex præpositione separabili pro, & curo, ita ut procurate nihil aliud sit, quam pro alio aliquid curare, sive alieno nomine aliquid administrare, uti Wesenb. *in Comment. ad ff. de Procurat. 2. 2. ex-plicat.* De reali definitione in Thes. seq.

§. III.

Est itaque Procurator (Autore J. C. *l. 1. de Procurat.*) qui aliena negotia mandato Domini administrat. Qua in definitione omisit genus brevitatis causa, ut solent J. C. Subintelligendum autem est genus, videlicet Ad-ministrator, seu Curator. Differentiam specificam verba man.

vd 18

mandatò Domini perspicuè declarant. Differt enim hoc ipso Procurator à defensore in specie sic dicto (prout accipitur in *l. 9. §. 6. & l. 34. §. 3. ff. de jur. jurand.* & qui ut talis Procuratori opponitur) ac negotiotum gestore, qui sine mandato agunt, & negotiantur. Differt hęc ratione Procurator etiam à Tutore, Curatore, Administratore Civitatis, & similibus, qui res minorum, aut aliorum, non ipsorum mandato, sed vel publica autoritate, vel testatoris, vel legis, vel Magistratùs administrant. Hoc autem adhuc notandum est, quod vocabulum administrare hoc loco de Procuratore dupliciter accipiendum sit, latè scilicet, quo sensu significat officium Procuratoris, sive bonorum sive litis, *l. 1. l. 33. §. 1. de Procurat.* & strictè ubi negotia extrajudicialiter gerere dicitur. Procurator, cui opponitur agere, quod prædicatur de judicialibus. *l. 43. pr. ff. de Procurat. l. 35. eod.*

## §. IV.

Procurator ratione objecti, alius est generalis, alius specialis. Hic est, qui mandatum speciale habet, & cui una res, aut unicus aliquis actus specialiter commissus est. *l. 16. C. de Procurator. l. 1. §. 1. l. 39. §. ult. ff. eod. l. 25. §. 1. ff. de minor.* Sndividitur hic rursus quod alius sit, qui ad iudicium, alius, qui ad negotia extrajudicialia datur. *l. 1. §. 1. ff. de Procurat. l. 33. pr. eod. l. 10. C. eod.* Ille seu generalis est, qui generale mandatum de universis negotijs gerendis habet, *l. 60. ff. de Procur. l. 25. §. 3. de Edilit. Edict. l. 25. §. 1. ff. de minor.*

## §. V.

Porro, alius Procurator est simpliciter totorum bonorum, alius omnium rerum cum libera; au vero hęc divisio Juri Civili sit cognita, valde inter Dd. disceptatur. Affirmantes adducunt *l. 58. ff. de Procurat. l. 9. §. 4. ff. de A. R.*



*A. R. D. §. 43. Inst. de R. V. ubi expressè Procuratoris, cui libera concessa est administratio, mentio fit. Negantium autem sententia verior esse videtur, quam etiam nos sequimur. Nam hujus distinctionis in Jure Civili nullum est fundamentum, nullaque utilitas. Et qui in l. 58. ff. de Procurando: §. 19. §. 4. ff. de A. R. D. dicitur, cui libera concessa est administratio, is synonymice, & explicationis gratia dicitur Procurator omnium rerum, l. 87. de solut. li. 1. §. 1. de Procurator. universum bonorum, l. 17. in fin. de jurejurand. omnium negotiorum l. 6. §. 6. mand. l. 69. §. 4. cod. totorum bonorum l. 63. de Procurat. & plenum mandatum habens, l. 60. ff. cod. ubi Titius Sejo, fratris sui filio solennibus quibusdam verbis liberam concedit potestatem agendi, ut ipsi liceat vel vendere, vel pasci, vel emere, vel quodcumque operari, ut domino omnium suorum ipsius scilicet Titij bonorum, & tamen hæc ipsa libera Sejo concessa potestas in eodem textu plenum mandatum vocatur. verb. plene mandavit, ut ita satis manifestum sit, plenum mandatum à mandato cum libera nihil differre, neque administrationem omnium negotiorum, vel totorum bonorum sine libertate administrationis consistere posse. De Jure autem Can. communiter id affirmari solet per Cap. 4. de Procur. in 6. ubi statuitur. Procuratorem generalem non agere posse ea, quæ speciale mandatum exigunt, sed requiri, ut vel specialiter sint mandata vel cum libera potestate Borell. 1. Dec. 66. num. 241. §. seqq.*

## §. VI.

Ratione finis procurator est vel in rem alienam, vel in rem suam l. 33. §. fin. de procurator: Procurator in rem suam est, cui commissa aliena negotia in proprium suum

vd 18

suum commodum, & utilitatem, *arg. d. l. 33. §. fin. de procurat.* Fit autem procurator in rem suam dupliciter 1) quando debitorem suum ita facit Procuratorem, ut, quod hic exigit apud alium, ipsi cedat Creditori, *l. 4. C. de procurat.* Sic dicitur procurator in rem suam, cui nomen in solutum datum est, *l. 1. C. de O. & A.* qui nomen emit, *l. 8. C. de hered. vel act. vend. l. ult. §. 2. ff. de cond. ind.* emptor hæreditaris *l. 37. l. 42. §. ff. de procurat. l. ult. de transact.* Legatarius cui nomen legatum, aut fideicommissum datum, cum scilicet heres ei mandat actionem hæreditariam *l. 70 ff. de procurat. §. 21. f. de Legat.* unde etiam procurator dicitur, licet in proprium commodum agat *l. 9. C. de procurat.* Sunt tamen alia quoque commissæ ipsi actiones utiles, quas proprio nomine instituire potest, vid. Dn. Struv. *in Syntagm. Jur. Civ. Tit. de procurat. Tb. 26.* Fit etiam 2) procurator in rem suam, cum quis eum, à quo causam, & quem inde sibi obligatum habet, dat procuratorem in rem suam, ut is periculo suo experiatur. Ut nimirum quando fidejussor reum principalem dat procuratorem *d. l. 42. §. 2.* emptor in lite proprietatis, vel evictionis venditorem *l. 66. §. 2. de evict.* creditor debitorem, ubi lis est de proprietate pignoris. Alia exempla vid. in *l. 63. ff. de re judicata, & l. 4. §. 3. & 4. ff. de appell.* Subdivitur procurator in rem suam, alias etiam in voluntarium, & necessarium. Voluntarius est, qui spontanea voluntate: Necessarius, qui non nisi cogente necessitate in rem suam constituitur. Quam necessitatem optimè explicat Donell. *Comment. Lib. 18. Cap. 13.* Ubi in rem suam ex necessitate procuratorem factum videri, dicat, qui necessitate rei familiaris cogente actiones sibi mandatas accipit, sine quibus acceptis aliàs de suo

suo quid amiteret, aut in periculum rei amitenda ca-  
deret; qualis est, qui actionem cessam habet contra tu-  
tores *l. 2. C. de divid. Tut.* aut contra Fideiussores *l. 1. C.*  
*de fideiuss.* aut hæreditariam actionem contra creditores  
hereditarios, *l. 34. ff. de procurat.*

## §. VII.

Jam de personis, quæ procuratores dare, & constitue-  
re possunt, Fundamenti autem locò ponenda hic est re-  
gula: omnes possunt, nisi quæ prohibentur. *l. 13. §. 1. ff.*  
*de procurat.* Prohibentur verò procuratorem constituere  
infans §. *ult. J. de Curat.* furiosus & mente captus, cum  
nulla istis sit voluntas, ne quid agatur intelligant. *l. 5. §.*  
*l. 40. ff. de R. J. §. 8. J. de inutil. stipul.* pupillus sine tu-  
toris autoritate. *l. 11. C. de procurat.* naturà mutus, &  
surdus cum animi sui sensu nullo modo, vel voce, &  
scriptura exprimere possint; aliàs si quis casu fortuito  
mutus & surdus fuerit, & literas calleat minimè prohibe-  
tur. *l. 43. pr. ff. de procurator.* Servus etiam procurato-  
rem ad litem de jure civili constituere prohibetur. *l. 33.*  
*ff. de procurator.* licet enim negotia pecuniaria per alium  
gerere, & hoc casu procuratorem habere possit, agere  
tamen per eundem nequit, *l. 33. ff. de procurat. l. 15. pr.*  
*ff. ex quibus caus. major,* nisi fortè de statu suo litiget, cum  
hoc casu nondum pro servo habeatur. *d. l. 33. de procura-*  
*tor.* Filius famil: quoque procuratorem constituere ne-  
quit, nisi ejusmodi sit actio, quã ipse experiri poterit, si  
scil. peculium castrense, in quo pro patrefamil. habetur.  
*L. 2. ff. ad Sc. l. Marced.* habeat, aut injuriam passus fue-  
rit, tunc enim & agendum, & defendendum ipsi procu-  
ratorem dare licet. *l. 8. ff. de procurator.*

B

§. VIII.

vd 18

Consideratis itaque personis, quæ procuratores constitui possunt, nunc de ijs, quæ dari nequeunt, dispendendum: Quod ex eadem regula, cujus supra mentio facta, nimirum omnes posse, quæ non prohibentur. Prohibentur vero omnes illi, qui legitimam standi in iudicio personam non habent, ut servus, *l. 33. ff. de procurator. l. 13. ff. si quis caut. in iud. sistend. fact. l. 3. ne quis eum, qui in ius vocat. l. 6. C. de iud.* quoniam procuratoris officium esse civile, habetur *l. 2. ff. de K. J.* Servi autem juris civilis communionem non habent, *l. 20. §. 7. ff. qui testament. fac. non possunt.* Fœmina *l. 18. C. eod. l. 2. ff. de R. J.* Ratio est in lege *21. C. de procurator.* Exceptio tamen est in *l. 41. ff. eod.* ubi fœminis causa cognita interdum pro parentibus, aut marito agere permittitur, si eos scilicet impediatur morbus, captivitas, aut ætas, & alius procurator adhiberi nequeat, Geil. *Lib. 1. Obs. 133. n. 6.* Hæc licet iure civili ita se habeant, aliter tamen iure Sax. est constitutum, ubi mulier neque pro se neque pro alijs in iudicio comparere potest, aut agere, sed solet ei tutor, seu Curator in litem Ein Kriegischer Vormund à iudice causæ seu litis, coram quo lis vertitur, dari & constitui. vid. Landknecht / *Lib. 1. Tit. 44. §. 46.* Quam sententiam etiam confirmavit postmodum Illustriss. Elector Augustus gloriosiss. mem: in Novellis suis *part. 2. c. 15.* Ubi verba: Daß die Gerichtshalter eines jeden Orts/ungeachtet ob solches von keine Paeth gesucht würde / eine jeden unbedormündeten Weibs: Person zu ihrer Klage und Antwort Ampts halben eine Kriegischen Vormund geben/ und zuordnen sollen. Add. Nov. Ord. Process Illustriss. Elect. Joh. Georg. 1. beatiss. mem. Tit. 8. Wie die Weibs:

Weibs-Personen vor Gerichte handeln sollen *verbis*: Witt-  
ben und Jungfrauen sollen ohne unterschied des Alters/  
sie halten gleich Klägerin/oder Beklagten statt/nichts für  
ihre Person/sondern alles durch ihre Vormunden handeln/  
da sie aber mit Vormündern nicht versehen *ic.* Quod ta-  
men cessat in causa criminali, tunc enim ipsa comparere  
tenetur, nec Curator ejus admittitur. Carpz. *Jurispr. Fo-  
rens p. 1. C. 1. def. 33. & Prax. Crim. part. 3. quest. 105.  
n. 61.* De minore 25. annis quaritur, an is quoque pro-  
curator esse possit? quod Donell. *Lib. 18. Cap. 11. & Gi-  
pban. in l. 51. n. 9. de procurat.* & veteres plerique affir-  
mant, per §. 5. *Inst. Qui & ex quibus caus. manumitt.  
non licet. l. 13. ff. de manumis. vind. l. 1. §. 3. ff. de postul.  
&c. modo major sit 17. annis: Nobis tamen negativa ma-  
gis artidet cum Carpz. in procesf. Tit. 5. art. 1. n. 31. &  
seqq. Zanger: de expept. p. 2. C. 8. quod etiam probatur  
jure Can. ad judicialia negotia, nisi 25. annis majorem  
non admittente, per *Cap qui generaliter, §. ult. de pro-  
curat: in 6.* Atque hoc quoque in praxi quotidie obser-  
vatur. Prohibetur etiam porro esse procurator miles,  
*l. 8. §. 2. l. 54. & de procurator: l. 5. C. de Condict. ob causam  
datam,* ne si aliend nomine judicia tractare, & ea curra  
occupari liceret, armorum curam omitteret, & à signis  
suis, ac munere discederet, unde & omnis procuratio in  
milite putatur esse contra utilitatem publicam, & disci-  
plinam militarem *l. 7. C. de procurat. l. 31. C. de locat.  
& conduct.* Excipitur 1) nisi sit procurator in rem suam  
*l. 9. C. de procurat:* quod tunc in effectu res proprias ad-  
ministret, quod militi nec aliàs est prohibitum. 2) Si  
causam communem cohortis seu numeri, aut legionis  
B 2 pro*

vd 18

sequatur, quam promoveri & publice interesse habe-  
 tur. *l. 8. §. 2. de procurat. l. 9. C. eod.* Quæritur autem  
 hic, an etiam miles pariter, ac mulier de jure Civili in  
 causa parentum, & liberorum admitti possit? Affirmat  
*loc. alleg. & Umm. in Process. Disput. 3. eb. 4. n. 20.* ratio quia  
 eadem in milite sit, necessitas & pietas, ac in muliere arg.  
*l. 41. ff. de procurat.* Sed contraria verior nobis videtur ob  
*l. 7. C. de Procurator. & §. fin. Inst. de Exception.* & quia  
 disciplina castrorum charitate parentum Romanis fuit  
 antiquior, *leg. 19. §. 7. ff. de Capt. & postlim. revers. d. l. 7. C. de*  
*Procurat.* milesque patriæ magis, quam parentibus sit  
 obstrictus. Procuratoris vices sustinere quoque prohibe-  
 tur, Mutus & surdus, *l. 43. ff. de Procurat.* item crimi-  
 nis alicujus reus *l. 6. C. eod.* cum ipse innocentiam suam,  
 prius purgare necesse habeat. Quod tamen de crimine  
 capitali intelligendum est, *l. 1. §. 6. de postul.* Nec non fu-  
 riosus *l. 1. §. 1. ff. de Procurat.* Is, qui perpetuo laborat mor-  
 bo, *l. 54. pr. ff. de procurat. l. 5. ff. de postul.* Quod per bo-  
 nam consequentiam etiam obtinet in senibus decrepitis,  
 & ætate confectis, Harprecht. *in Comm. ad Inst. Tit. de his,*  
*per quos ager. poss. §. 1. num. 171.* De infamietiam quæstio  
 est, an is admittatur? Et communiter Doctorum opinio  
 est, de jure Civili eum repelli non posse ob textum *in §.*  
*ult. Inst. de Except.* Verum distingvendum videtur, inter  
 notorie infamem, & eum, de cujus infamia adhuc dubita-  
 tur: Hunc ab officio Procuratoris minime arcendum  
 esse manifestum est, ex *d. §. ult. Inst. de Except.* ne, dum  
 de ijs altercatur, ipsius negotij disceptatio proteletur. Pe-  
 nitus itaque inspecto allegato textu notorie infamem non  
 admitti facile patet. Jure Pontific: omnes indistinctè in-  
 fames ab officio Procuratorio expelluntur. *Can. 1. & Can.*  
*2. Claus.*

2. *Caus. 3. q. 7. Can. 3. Caus. 5. q. 3.* Quod tanquam honestius hodie observatur. Cum in alijs bene constitutis judicijs, tum vel maxime im supremo Camerae Imperialis Judicio, Geil. *1. Obs. 43. num. 7. & 8.* Daß die Advocaten/und Procuratores, che/ und bevor sie zugelassen / oder angenommen werden / durch Cammer Richter und Assessorn ihrer Lehre/Geschickligkeit/Redligkeit/rechter natürlicher ehlichen Geburt / Wesens / und haltens halben zc. wohl examiniret werden sollen. Etiam Jure Sax. infamis indistinctè prohibetur, Procuratoris vices sustinere per expressum textum in Landrecht *Lib. 3. art. 16. circa finem*, ibi: Wer aber beklaget wird/mag seinen Kläger wohl abweisen/als ob ein Rechtsloser geächterer Mann einen beklagten darff Er nicht antworten. Et deinde verf. Denn das Recht / ubi hæc: Daß die Rechtslosen weder in Feinlichen noch in Bürgerlichen Sachen vorsprechen sollen / darum / daß sie mit Ehren vor Gerichte nicht stehen können. Schulz. in *Synops. Inst. Imper. Tit. de Except. lit. C.* Porro excluduntur hilitium redemptores. *i. 15. C. de Procurat. qui vel totam litem parvo pretio redimunt, vel partim victoriæ sibi paciscuntur. l. 20. & 22. cum aliquot seqq. C. mandat.* Hoc enim pactum est contra bonos mores, *l. 7. ff. mand. l. 15. C. de Procurator. l. 53. ff. de Pact. l. 5. C. de Postul. quod à jure semper improbat, l. 27. §. 4. de Pact. l. 6. C. eod.* Unde etiam ejusmodi Procurator & Advocatus, qui de quota lite cum Cliente suo pactus est, non tantum sumptus, aut expensas litis nulla unquam actione repetere potest. *l. 6. ff. mandat. l. 20. C. eod.* sed & ipse ab ipsa professione sua penitus arceatur, ex Const. Constantini Imperat: in *d. l. 5. C. de postulando.* Denique Procurator invitus Jure Civili etiam non constituitur. *l. 8. §. 1. de Procurat.* Dicitur autem invitus

18

vitus dupliciter, [1] qui contradicit, quia dissensum suum contestatur, (2) qui consensisse non probatur, quoniam consensus per externa signa declaratur, quæ non præsumuntur, sed sunt probanda. Hinc quaeritur, an tacens hic pro consentiente habeatur, v. g. qui literas Procuratorias missas acceptavit, an eo ipso constitutus intelligatur. Quod de simplici acceptione literarum negatur; cum accipiens sæpe contenta ignoret, & factum ali-quod intercedere debebat, unde consensum eliciatur, *arg. l. 18. ff. mandat.* Cæterum hodiè & invitus ex officio dari potest Procurator in illis locis, ubi certi, ordinarijque sunt Procuratores, atque partibus non, nisi per Procuratorem agere licet.

## §. IX.

Materiam quod atinet, sive ad quas gerendas Procuratores constitui possint, vel non, eadem regula teneatur, quæ supra tradita est, videlicet omnibus validè causis & negotijs adhiberi Procuratorem, nisi quid discretè exceptum sit. Constitui autem in Judicio potest Procurator vel ad omnes causas, vel ad unam tantum totam tamen, non aliquam ejus partem *l. 38. ff. de Procurat. Myns. Observat 46. Cent. 1.* Ratio est, quia alioqui, si una lis à duobus & pluribus Procuratoribus susciperetur, Actor unam causam in plures dividere necesse haberet, & sic in plures etiam adversarios non sine magno suo detrimento, & incommodo distraheretur, contra dispositionem, *l. 2. ff. de exerc. act.* Quod etiam in Camera Imper. observatur, vid. *Ord. Camer. p. 3. Tit. 12. §.* So viel dean/ubi hæc verba: So viel denn die Gewaltt betrifft/ so beyder Partey Procuratores fürbringen / sollen dieselbe nicht ad unum actum, sondern zu der ganzen Suche gestellet seyn / und andergestalt für



für genugsam nicht angenommen werden. vid. Geil. *Observ.*  
 si. num. II. Excipiuntur tamen quædam causæ, quæ per  
 Procuratorem agitari non possunt, ut sunt causæ publicæ,  
 in quibus Procurator alieno nomine non admittitur, ne-  
 que ad agendum, neque ad defendendum, *l. pen. §. fin. de  
 publ. jud.* Item non publicæ, quæ tamen criminales sunt,  
 certamque pœnam capitalem habent. Quod tamen li-  
 mitant Doctores: nisi Procurator absentia causam defen-  
 dat, non vero causam principalem, *l. 71. de Procurator.*  
*l. pen. §. fin. de publ. jud.* aut nisi quis suam suorumque  
 injuriam persequatur, aut actio criminalis civiliter sit  
 instituta, puta ad pœnam pecuniariam, sicut de crimina-  
 libus omnibus, aut criminaliter, aut civiliter agi potest,  
*l. un. C. quando civil. acti. prejud. crimin.*

## §. X.

Moribus autem nostris postquam lex tationis, & so-  
 lennis inscriptio in desuetudinem abiit, penitusque sub-  
 lata est à parte accusatoris indistinctè Procurator admitti-  
 tur, sive agat criminaliter, & cum in accusatione defecerit,  
 ad sumptus tantùm litis refundendos, & multam  
 pecuniariam pro injuria Reo illata præstandam tenetur,  
 vid. *Consl. Crim. art. 12.* ubi constituitur, accusatorem, vel  
 ejus Procuratorem custodia tradere debere, donec idone-  
 am cautionem præstet, verba hæc sunt: So bald der An-  
 geklagte zu Gefängniß angenommen ist / soll der An-  
 kläger / oder sein Gewalthaber mit seinen Leib verwahret  
 werden / bis Er mit Bürgen Caution, Bestand und Siche-  
 rung gethan hat / & mox: Daß der Ankläger / wo Er die  
 peinliche Rechtfertigung nicht ausführen / oder dem Rech-  
 ten verfolgen würde den Kosten / so darauf gegangen ist /  
 auch dem Beflagten um seine angeführte Schmach und  
 Schaden

Schaden Abtrag thun solle. In Foro Sax : hæc constitutio, quoad personam accusatoris, aut procuratoris custodia tradendam non observatur, sed cautio pecuniaria de sumtibus litis, & injuriæ illatæ satisfactione perinde ac in civilibus causis imponitur, Wesenb. *Tit. de accus. num. 12.* nisi quis possideat bona immobilia, tunc enim ab ea liber est, Carpz. *in Jurispr. For. part. 1. C. 5. def. 23. & Prax. Crim. part. 3. q. 106. num. 46. 47. & 48.* Sed et si accusator neque bona habeat immobilia, neque idonee cavere, aut fidejussores invenire queat, cautio jurata. Da Kläger schworet / daß Er glaube / daß Er nach angewendeten möglichen Fleiß die Caution mit Bürgen/und Pfänden nicht bestellen möge ic. sufficit. Carpzov. *locis alleg.* Hæc de Actore seu Accusatore. Ex parte autem Rei in crimine publico non admittitur Procurator, sed tantum ad absentiam ejus defendendam, vel exceptiones declinatorias, vel dilatorias, nisi ipse in judicio reus sit præsens, tunc enim Advocatus ipsi est adjungendus, non quidem ad respondendum accusationi, vel inquisitioni, aut interrogationibus à Judice super delicto factis, cum hæc omnia reus ipse facere, ac peragere necesse habeat, sed tantum ut ipsum instruat reum, ac consilio juvet, de quo plene agit Carpzov. *in Prax. Crim. p. 3. q. 105. num. 46. & seqq.* In Camera tamen Imper in causis fractæ pacis accusatum per Procuratorem comparere posse patet, ex *Ord. Crim. p. 1. Tit. 25.* Ob Fürsten / Pvälaten / Grafen / Freyherrn / Ritter-schafft/oder Stände durch ihre Anwälde oder Redner / die sie mit ihnen bracht / oder schicken / oder andere / doch ehrl. und tüchtige Personen in ihr selbst Sachen wolten reden oder handeln/dieses sollen sie zuthun Macht haben/ic. Imo in illo Consistorio non aliter, quam per Procuratorem causas

causas agitari posse tradit *Geil. de pac. publ. Lib. 1. C. 10.*  
 Excepta tamen absolute à banno Imperi: quæ à solo  
 bannito præfente in iudicio postulari debet, nisi forte de  
 adverfa valetudine, aut alijs iustissimis impedimentis,  
 quibus impeditus comparere non potuerit, vel instru-  
 mento publ. vel attestazione Magistratus illius loci fidem  
 iudici faciat, tunc enim procurator admittitur. *Geil. d. Lib.*  
*1. C. 10. n. 9. & L. 2. C. 18. n. 25. de pac. publ.*

## §. XI.

Num vero in causis fumosis etiam procurator inter-  
 venire queat? quæritur, quod rectè affirmatur, modo  
 sint civiles ob *l. 6. ff. de his qui not. infam. l. 1. vers.*  
*plane ff. an per alium caus. appell.* Similiter res sese habet  
 cum interdicto de liberis exhibendis, ducendisque, quam  
 actionem regulariter pater ipse, non vero per procura-  
 torem instituere debet, nisi causa cognita, id est, si & no-  
 minatim hoc procuratori mandatnm sit, & pater valetu-  
 dine, aut alià iusta causa impediatur. *l. 40 pr. ff. de procurat.*  
 Ratio, cur pater, nisi iusta causa aliquà impediatur per pro-  
 curatorem agere non possit, hæc est, quod cum ad mi-  
 nuendum liberi hominis, & civis Romani statum perti-  
 neat, eum pro Imperio peti ad exhibitionem, & ductio-  
 nem; non temerè hujus rei petitio cuiquam permitten-  
 da fuerit, nisi ei, qui potestate hominem ducere, & in  
 eum, qui duceretur, statuere poterit, quod solus pater,  
 qui filium in potestate habet, facere potest, *Donell. L. 18.*  
*Cap. 10.*

## §. XII.

Formam constitutionis quod attinet perficitur ea  
 consensu & mandato vel expresso, vel tacito. Expresso  
 velut per pactum *l. 1. ff. de procurat.* aut per nuncium & li-  
 teras

C

teras

d 18

teras *l. 2. ff. de pactis l. i. mand.* Facto, quando quis præfens & sciens causam suam ab aliquo agi non contradicit, sed id fieri patitur, *l. 6. ff. mandat.* Patientia enim pro consensu habetur *l. 18. l. 53. A. mandat. l. 6. C. eod. l. 60. ff. de R. J. l. 5. §. 10. ff. de his qui effud.* Sic tacite constitutus procuratur existimatur, qui literas, in quibus ipsi dominus procurationis munus defert, accipit, nec contradicit *l. 65. ff. de procurator.* Semper enim ejusmodi literas ad se datas sine protestatione recipiens præsumitur approbare ea omnia, quæ in ijs sunt comprehensa *l. 16. ff. ad SCt. Mac.* Secus tamen est, si quis rudis literarum mandati literas accipiat, & per aliquod temporis spatium secum retineat, is enim mandatum suscepisse non præsumitur. Cum ignorans, & errans non consentiat. *l. 15. ff. de jurisdict. vid. Harprecht. Comment. ad Inst. Tit. de iis, per quos ager poss. §. 1. n. 199. & seq.* Præterea eum quoque Dominus tacite procuratorem constituere censetur, quando instrumenta causæ principalis hoc est, quibus causa instrui ac probari potest, alicui tradit. vid. *Wesemb. Tit. de procurat. n. 6.*

## §. XIII.

Constituitur autem procurator tam præfens, quam absens, uti supra dictum est, per epistolam vel nuncium *l. 1. & 8. l. 5. & 6. l. 33. ff. de promisor. l. 1. mandat.* Item vel in præfens, hoc est ut statim gerat officium, vel in diem, vel ad diem, & certum tempus, vel sine temporis præfinitione, vel purè & sub conditione. *l. 3. de procurator.* Porro Procurator constituitur, vel in iudicio, vel extra iudicium ex parte Actoris, si Domini mandatum Actis insinuet, hoc est literas mandati offerat iudici, aut mit-

tat,

tat, & ad acta redigi curet: aut si ipse coram iudice pro-  
 curatorem eligat, ejusque personam confirmet, & se ra-  
 tum habiturum, quicquid ille gesserit, aut egerit promit-  
 tat, & caveat. §. 3. *Inst. de satisdat. l. 65. ff. de procurator:*  
 Et hic constituendi modus omnium tutissimus est, cum  
 acta iudicij inter partes notorium faciant, ac ideo ab one-  
 re probanti relevent. *vid. Harprecht. Comment. ad Inst. Tit. de*  
*his per quos ager. poss. §. 1. n. 227.* Quæritur autem hic an  
 Clausula illa de ratihabitione in mandato ita necessaria sit,  
 ut si omitatur, instrumentum procuratorium vitientur.  
 Non satis hac de re inter Dd. convenit, quidem enim pu-  
 tant, non vitari instrumentum per ejus omissionem, sed  
 tantum utilem esse ejus adjectionem, & hunc habere ef-  
 fectum, ut mandato cum libera æquipolleat, *Hillig. ad Donell.*  
*L. 18. C. 12. lit. EE.* Verum contraria sententia hodiè in pra-  
 xi est recepta, & clausula rati hisce ferè verbis: Was ge-  
 nennter mein Bevollmächtigter bey dieser ganzen Sache in  
 meinen Nahmen verrichten / und handeln wird / will ich  
 vorgehen / und als mein eigen achten / auch ihm / und  
 seine Substitutos jederzeit vertreten / und schadlos halten:  
 expressè mandato procuratorio inseri debet, *Carpz. in*  
*Process. Tit. 6. art. 1. n. 77. & seqq.*

## §. XIV.

Procurator itaque mandato instructus cautionem  
 de rato præstare necesse non habet, quando enim de man-  
 dato certo constat, satisfactio ista necessaria non est *l. 1.*  
*C. de proc. l. un. C. de satisdat. l. 21. ff. ratam rem habes.*  
 Quoties vero de eo adhuc dubitatur, si fortè manda-  
 tum proferat ex parte aliquâ mutilum, aut insufficiens,  
 absque cautione de rato non admittitur, *l. 1. C. de pro.*  
 C. 2

*curat. l. 39. ff. eod.* Si quis autem nullum omninò exhibere potest mandatum, tunc nec offerens cautionem de rato, invito adversario admittitur, nisi pro conjuncta persona *l. 35. l. 40. §. ult. ff. de procurator. l. 12. C. eod.* quando scilicet parentes pro liberis, aut liberi pro parentibus, fratres pro fratribus aut sororibus, affines pro affinibus, liberi pro patronis, maritus pro uxore, & consors litis pro consortibus procuracionem suscipiunt, *l. 35. ff. de procurator. l. 21. C. eod.* Quæritur autem, num alijs etiam ulterioris gradus agnatis hæc ipsa facultas sit concessa? Nonnulli ad decimum gradum licentiam dant, inter quos est *Sichardus ad Leg. 12. §. 6. C. de procurat.* Pleriq; verò tantum ad quartum usque gradum eos admittunt, ita ut secundum computationem civilem frater tantummodo patruus & avunculus, item fratris & sororis filius, ut conjunctæ personæ in linea collateralis sine mandato agere possint; Quod etiam in foro Sax. observatur. vid. *Const. Elect. in Ord. Process. jud. Tit. 7. §.* Wir lassen aber gleich wohl geschehen / daß ein Vater von seines Sohns / und der Sohn von seines Vaters wegen / wie auch alle andere Personen in auf und absteigender Linien; desgleichen seithalben die Bluts-Verwandten bis in dritten Grad / inclusive, und der Mann wegen seines Ehe-Weibs / der Schwäher für seinen Eydam oder Tochtermann / für seinen Schwäher in Rechten ohne Gewalt erscheinen &c. Sed hic quæritur, num adhuc etiam duret facultas de rato cavendi, uxore generi defuncta? Negat *id Berlich. p. 10. conclus. 14. n. 49.* sed ab ipso dissentit *Carpz. in proces. Tit. 5. art. 6. n. 48. §. 49.* Nobis autem videtur, quod hic considerandum sit, num bene sibi invicem cupiant socer, & gener, an verò quod fieri sæpè solet, odium & ini-  
mici-

micitias alant, priori casu *Carpz.* affirmantis, posteriori *Berlichij* negantis opinio erit amplectenda.

## §. XVI.

Nunc ad procuratorem Rei, qui eodem modo aut in iudicio, aut extra iudicium constituitur. Sed adhibita satisfactione iudicatum solvi, eoque nomine hypothecam suorum bonorum supponere pignori Reus debet *l. 64. ff. de procurat. §. 4. Inst. de satisfat.* Quod si ipse principalis hanc satisfactionem non præstiterit, ad eam instincte compellitur procurator, nec antea recipitur, quam caveat de iudicato solvendo *l. un. C. de satisfat.* juxta regulam: neminem in re aliena defensorem sine satisfactione fore idoneum in *l. 46. ff. de procurat. §. 1. & 5. Inst. de satisfat.* Male enim cautum esset adversario de executione, si neque à Domino, neque à procuratore ejusmodi satisfactio præstaretur vid: *Wesemb. de procurat.* Jure Sax. neque à Domino hoc est reo principali, neque ab ejus procuratore cautio iudicatum solvi peti, ac præstari solet, sed penitus ab usu recessit vid. *Carpz. in process. Tit. 9. art. 5. n. 12. 13. & 14.* Ubi hanc formulam sententionandi annectit: Daß Beklagter mit dem geforderten Caution billich zu verschonen / *W. K. W.* Ex hac scilicet ratione, quia reus satis jam antea sit gravatus, quod hoc ipso fuerit iudicio pulsatus: & ne ipsi ut afflictio ulterior addatur afflictio arg. *l. 14. ff. de Offic. Præsidi. l. antepen. C. de pœnis.* Secus tamen est, si de fuga fortè sit suspectus *Carpz. d. l. n. 16.*

## §. XVII.

Porro quod formam instrumenti Procuratorij concernit, illud nomen, cognomen constituentis & Procurato-

ratoris constituti præcipuè continere debet; item contra quem, nec non Judicis, coram quo, & apud quem, ut & causam, actumque ad quem constitutio Procuratoris facta est. Carpzov. in *Process. tit. 5. art. 1. num. 52.* Ea vero maximè in instrumento Procuratorio sunt exprimenda, quæ speciale mandatam requirunt, nec in generali comprehenduntur, *Cap. 4. in princ. & Cap. 5. de de Procurat. in 6. v. g. ad contrahendum matrimonium, compromissum repetitio solutionis, juramenti delatio & præstatio, l. 34. §. 1. de jurejur. petitio restitutionis in integrum, l. 25. §. ult. ff. de minor. alienatio rerum tam mobilium quam immobilium, nisi fructus aut aliæ res sint, quæ facile corrumpi possunt l. 63. ff. de Procurator. l. 16. C. cod. & quæ sunt alia, de quibus vid. Harprecht. ad *Tit. Inst. de iis per quos ager. poss. num. 241.* Idèd, qui plenum, liberumque dare vult mandatam, horum aliqua in instrumento ut exprimat necesse est, puta, concedo potestatem jurisjurandi deferendi &c. & postmodum subjiciat generalem clausulam: Et omnia reliqua agendi, quæ ipse Dominus præsens agere, & facere posset, und alles andere zu thun/ was der Principal selbst persönlich hätte verrichten können unî solten. Hac enim clausula includit omnia, quæ expressis sunt paria, vid. Carpz. in *Process. Tit. 5. art. 1. num. 87. Mynfinger. Cent. 4. Observ. 99.**

## §. XVII.

Quod ad substantiam mandati spectat, requiritur, ut non tantum subscriptio, verum etiam sigilli appositio conjunctim fiat, vel à privato, vel à persona publ. Notarij, aut Magistratûs. Quanquam olim subsignatio idem fuerit ac subscriptio, *l. 39. ff. de V. S.* & sigillum idem, quod subscriptio operatum sit, hodiè tamen mandatam, nisi



nisi & sigillatum & subscriptum sit, minime valet *Ord. Process. Tit. 7. §.* Da auch *rc.* verba: Die Mandata und Vollmachten sollen allerley Mißbräuche / so dabey eingeschlichen / zu vermeiden / nicht allein von den Partheyen gesiegelt / sondern auch unterschrieben seyn / auch der nicht schreiben kan / mag durch einen Notarium oder sonsten Gerichtlichen vollziehen lassen/*rc.* Quid autem, si mandans sigillum ad manus non habeat, vel eo nunquam usus fuerit, neque sibi aliquod comparaverit? Is vel judicialiter, seu à Notario mandatum confici, vel per alium, sigilloque alieno, signari curet, ac desuper attestetur. Hisce consvetis verbis: Und weil ich kein Siegel nicht habe/so hat ein ander Namens N. N. sein Siegel aufgedrucket. Vel si sigillatione omissa tantummodo mandatum subscribat, tunc hæc formula adjicienda est: In Mangelung meines Siegels Carpvov. in *Process. Tit. 5. art. 1. num. 96. & seqq.* Caterum quæ alia adhuc sunt legitimi mandati requisita. vid. Harprecht *ad Tit. Inst. de iis per quos ager. poss. num. 52. & seqq.*

## §. XII.

Probatur autem mandatum iisdem ferè modis, quibus constituitur, nimirum aut instrumentis, aut testibus aut præsumptione. Per instrumentum publicum probatur, quando mandatum Procuratorium actis est insinuatum, §. 5. *Inst. de Satisfat.* Per privatum verò, quando instrumentum constitutionis à Domino ipso est confectum, l. 65. ff. *de Procurat.* per testes, quando nuncupatur Procurator coram duobus, aut pluribus, qui postea testimonium de mandato perhibeant, l. 15. *C. de fid. instrum. l. 17. C. de pact. l. 4. ff. de Procurator.* Denique etiam per præsumptiones, veluti ex conjunctione sanguinis

gvinis l. 35. ff. de Procurator. l. 21. C. eod. item si constet, Dominum esse presentem, neque contradicere Procuratori agenti, l. 18. ff. mandat. ut & si instrumenta principalis negotij proferantur, quæ nemo sine mandato alicui cessurus præsumitur. vid. Robach Cap. 20. num. 36. & seqq. Wesenb. Tit. de Procurator.

## §. XIX.

Finis Procuratorij mandati est, ut quia Domini rebus suis interdum superesse aut nolunt, aut nequeunt, eorum negotia per alios ad id idoneos expedire queant, l. 1. in fin. de Procurat. unde fit, ut inter Dominum & Procuratorem hoc ipso constitutum mutua oriatur obligatio, quæ duplicem parit actionem, directam & contrariam: Actionem mandati directam Dominus in Procuratorem ex variis causis intentare potest, v. g. quando Procurator negotium susceptum exequi nolit, l. 8. §. fin. ff. de Procurator. l. 48. eod. l. 8. §. 2. ff. mandat. aut si in officio suo per dolum aut culpam aliquid detrimenti Domino intulit, l. 38. §. 9. ff. de penis l. 13. & 21. C. mand. Si per collusionem adversarium absolvi passus sit, l. 8. §. 1. ff. mandat. Si omnium, quæ ex mandato consecutus est, rationem reddere recuset, l. 46. ff. de Procuratorib. Actio vero mandati contraria competit Procuratori contra Dominum, l. 42. §. 2. ff. de Procurat. l. 46. §. 5. ff. eod. v. g. si quid præstet ex damno, potest id repetere; æquum enim est necessaria impendia restitui, l. 30. & 31. §. penult. ff. de Procurator. Et si quid extra mandatum impendat in utilitatem Domini, quod ipse Dominus impensurus fuisset, id etiam potest repetere, non quidem actione mandati, sed actione negotiorum gestorum, l. 41. l. 46. §. 4. de Procuratoribus. Unde etiam ratione rerum quarum sitarum

sitarum Procurator uti potest: Neque antea rationes red-  
dere tenetur, nisi Dominus ei solvere sit paratus, *l. 25. §.*  
*26. ff. ff. de Procurat.* Quod si Dominus solvendò non sit?  
Tunc licite petit Procurator, ut ex re iudicata sibi satis-  
fiat. *l. 30. eod.*

## §. XX.

Hactenus de constitutione Procuratoris satis di-  
ctum esse puto; Nunc quomodo ex ipsa iterum dissolvatur  
& revocetur, postremo erit recensendum. Potest i-  
gitur ante litem contestatam Dominus constitutionem  
Procuratoriam liberè, & sine causa revocare, aut mutare,  
*per l. 16. ff. de Procurat.* quia res adhuc integra, *l. 5. de Jurisdic.*  
Quamdiu enim res est integra, tamdiu Procuratori po-  
restas inchoandi negotij tam extra iudicium, quam in  
iudicio rectè prævertitur, & adimitur. Lite autem con-  
testata, quæ res integra esse desiit, Dominus revocare  
mandatum, aut mutare Procuratorem, nisi ex justis cau-  
sis, non potest, *l. 17. de Procurat.* Justæ autem causæ sunt,  
ætas Procuratoris minus apta negotiis: Item valetudo,  
occupationes, & reliqua impedimenta, quibus Dominus  
ita distringi Procuratorem animadvertat, ut suis negotiis  
commodè præesse nequeat, *l. 17. cum aliquot seqq. ff. de*  
*Procurator.* Item inimicitia, affinitates, aut amicitia  
cum adversario contracta, *l. 21. cum aliquot seqq. ff. eod.*  
His ergo ex causis Domino permittitur mutare manda-  
tum, neque commodè illi se opponere potest Procurator,  
ne fiat suspectus, quod in rem alienam invito Domino  
se ingerere velit, *l. 25. de Procurat.* nisi fortè justam ha-  
beat ejus rei causam: Ut quia sumptus fecit, aut in rem  
suam datus est, aut Dominus saltem partem aliquam ne-  
gotij revocat, *d. l. 25. §. fin. de Procurat. l. 55. eod.* Econ-  
trario

trario Procurator ex justis causis etiam petere potest, ut invito quoque Domino ab officio Procuratorio liberetur, v.g. si inimicitia ortæ sint, si valetudo, aut occupationes ejusmodi, aut alia legitima impedimenta obvenierint, ut Procuratoris vices sustinere nequeat, *l. 8. in fine* & *l. aliquot seqq. ff. de Procurator. l. 23. 24. 25. & 27. ff. mandat. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. 7. thes. 37. in fine. Geil. 1. Observ. 46.* Deinde finitur etiam mandatum, finito ipso negotio, seu causa, propter quam susceptum fuerat, *l. 17. & 21. C. de Procurat.* & tandem morte utriusque contrahentis, tam mandantis, quam Procuratoris: Hujus quidem sive integra adhuc res sit, sive non, cum certæ personæ cohareat, & cum eâ extingvatur, *arg. l. 13. ff. solut. matrim.* In Domini quidem persona distinguendum est, utrum ante, an post litis contestationem moriatur? Priori casu certè mandatum censetur revocatum, nisi jam ante pro Procuratore consentiente judicatum latissedit, *l. 15. ff. de Procurat.* aut nisi ignorante Procuratore ante litem contestatam sit mortuus, *§. 10. Inst. de mandat. l. 26. pr. & l. 58. ff. mandat.* aut aliquid post mortem suam faciendum mandaverit, *l. 12. §. ult. eod.* Posteriori casu autem non revocatur, neque opus est novæ heredum mandato, *arg. l. 23. C. de Procurat.* Hodie tamen in Camera Imper. heredes ad Judicium citari solent, ut litem reassumant, *Geil. 1. Observ. 109.* Quam consuetudinem tamen, quæ hæredum multorum malitias, atque tergiverfationes fovet, valde improbat, *Umm. Diss. ad Process. 3. tb. 7. n. 45.*

## S. XXI.


Plura ad hanc rem spectantia brevitate causa sponte omisisse me fateor: Et si quis uberiores hujus materiæ tracta-

27. 20

Stationem desideret, is ipsos Dd. & Interpp. evolvat  
Commentarios. Sufficiant hæc, quæ quasi in Compen-  
dio pro instituti ratione de insigni hac materiâ diximus.  
DEUS ille Triunus concessam istam hæcenus nobis gra-  
tiam, ac studiorum directionem clementissimam ulterius  
in sui Gloriam, ac Proximi Salutem dirigere velit,  
submisse, obnixæque rogamus. Sitigi-  
tur in æternum.

*SOLI DEO GLORIA.*





ULB Halle  
005 355 346

3




vd 18









9157

124

Q. D. B. V. 1703, 12a  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE

# ADMITTENDIS ET REJICIENDIS PROCURATORIBUS,

*Quam*  
AUXILIANTE DIVINI NUMINIS CLEMENTIA  
EX DECRETO & CONSENSU INCLYTI JCTORUM ORDINIS  
IN PERANTIOVA & CELEBERRIMA ELECTORALI  
UNIVERSITATE ERFURTINA  
PRÆSIDE

VIRO Prænobili & Consultissimo

DOMINO

## JOANNE MATTHIA WINCOP

Phil. & J. U. D., P. P. Ord., Præfecturæ Electoralis  
Mogunt: Consulente, p. t. Facult. Jurid. & Collegij

Portæ Coeli DECANO,

### PRO LICENTIA

*Summos in Utroque Jure Honores, Immunitates*

*& Privilegia Doctoralia rite &*

*legitime consequendi,*

Publicæ Disquisitioni exponit

### JOANNES HENRICUS Böldel /

Dübja-Saxo, Hæreditarius auff Wedelwig.

In Auditorio Jctorum die 9. Augusti 1703.

Horis convetis.

ERFORDIÆ, Æra GROSCHIANO.

39.

39.

vd 18